

c. 26. n. 2. inf. Benekend. ad Seraph. de privit. juram. privi. 119.

Jo. Strauch. ad jus Justin. ex. 14. §. 14. adeo ut ipsi dissentientes fateantur, hanc sententiam, ut tutiorem, in praxi esse

Quid si mulier
ipsa sui juris
ignara sit?

servandam. Hering de fidejuss. c. 7. n. 510. Interim tamen cum vix dentur feminae, nisi plane plebejæ & rudes, quæ ignorant, se sine renunciatione jurium suorum valide fidejungere non posse, & tamen callide pro aliis intercedunt, postea si conveniantur ad hoc SC. convolaturæ, sub prætextu non factæ certiorationis, & ita reapse in dolo versentur, his optimo jure deferri potest juramentum, annon sciverint se valide fidejungere non posse? & annon hac mente fidem interposuerint ut postea ad hoc beneficiū confugerent? quod si affirmare necessum habeant, ob dolum, qui præsentī casu concurrat, beneficio hoc indignæ erunt. per L. 9. C. h. t. & ibi Dd. L. 2. §. 3. ff. h. t.

De usu L. 23
C. h. t.

§. XXIII. Sunt præterea alii casus, ubi mulier absque certioratione ex intercessione obligatur, de quibus in *Caut. contr. satis* actum. Quædam ergo tantum adhuc monenda sunt de praxi L. antiqua 23. C. h. t. ubi Justinianus expresse constituit, non aliter mulieres pro aliis se obligare posse, quam instrumento publico & a tribus testibus subsignato, adeo ut si hoc factum non fuerit, fidejussio sit ipso jure nulla, ut ne quidem hac exceptione indigeant. Quamvis vero Jason in *cit. l. 23.* secure asserat, illam consuetudine abrogatam esse, tamen testatur Paul. Christin. *Vol. 3. decis. 36. n. 10.* eandem in aliis locis in usum esse revocatam, quod etiam testatur Sande *l. 3. tit. 11. def. 6.* quorsum forte respexit Jus Prutenicum §. 19. adductum, quod extra judicium tres testes adhibendos esse vult. Sed quod observantiam hujus legis plurimi negent, vel inde evenire credo, quod ejus decisionem ad quascunq; extendant intercessionem, cum tamen in *cit. l.* eatenus tantum jura antiqua corrigantur, ut ubi olim mulier quidem obligata erat, sed exceptione SC. Vellej. uti poterat, hoc jure noviori tunc demum locum habeat, si intercessio in instrumento facta publico, alioquin intercessionem debere esse nullam, & ne quidem necessarium esse, ut exceptio Vellejani opponatur? Ast illius casus plane non facit mentionem, ubi in privato instrumento legitime & valide renunciavit suo beneficio, ceu docui in *Caut. Contr. cit. L. §. 12.*

